De Pharnacis II.

Singulari numo aureo

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

MAXIMILIANUM

ARCH. AUSTR.

Pharnacis II. Bosphori primum, dein et Ponti Regis numum, quem Tibi SER. PRINCEPS, nec non et mihi nuper videre contigit in lucem proferre ob epochæ novitatem antiquariorum genio morem gerere est.

Desperatis Parentis ſui Mithridatis VI. in Ponto rebus parricida hic copias ejus tam insidiose corrupit, ut violentas ille ſibi ex animi dolore manus inferret. Ejus cadavere ad Pompejum M. transmisso Bosphoranum ſceptrum obtinuit: mox inter illum et Jul. Cæsarem obortis dissidiis oportune abuſus Asandro in Bosphori procurationem conſtituto in Pontum irruit, ibique impune debacchatus eſt, donec ſublato Pompejo Pharnacis ſimultatibus ulciſcendis excitatus I. Cæsar ex Aegypto movens anno U. C. 707, ante Chriſtum 47. exercitum ejus adorsus tam celeriter confregit, ut rapidæ excursionis illius exitum in epiſtola ad Anicium deſcribens famigerato laconismo illo uſus ſit VENI, VIDI, VICI. Profligatum Pharnacem ſese in Pontum e clade proripientem Asander throno inhians interfici jussit. Hæc præcipua de Pharnace ipso; reliqua fuſius apud Plutarchum et Appianum.

Nunc de typo.

Caput Regis diadematum ad siniſtram.)(ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ Apollo ad dext. ſedens d. manu ramum lauri protendit, siniſtra lyram tenet: pone epocha ΓΜΣ ſub qua monogramma Π elemento Α incluso ac Σ deſuper eminente complexum: *Aur.* 11. *moduli.* Ratio Apollinei cultus apud reges Ponticos eadem fuerit, quæ Jovis ætophori apud Macedonicos, et Minervæ apud Thracicos, ut in Alex. M. Phil. III. ac Lysimachi numis adparet, peculiari cuique regimini e cœlitibus in Patronum delectu.



Monogrammata fere omnia jam nemo post clariss. Eckhelii animadversiones dubitet monetarias mere siglas fuisse.

Ad rem magis facit annus 243. ad Varronianum calculum in area numi expressus. Quum initium æræ Ponticæ ad annum U. C. 457. sub Mithridate I. figatur, si addideris annos huc recitatos — 243. evinces numum exeunte sæculo V. C. septimo cusum fuisse.
700.

Tres typi consimiles huc usque cogniti posteriores epochas habent, scilicet EMΣ 245, ϛMΣ 246, ZMΣ 247, nullo alio comperto qui maturiorem aetatem designet.

Quod mechanicam operis spectat fabrica ejus indolis omnino est, cujus Lysimachi omnes secundi moduli, quorum tam opulentam mercem in vicino tractu, et quidem cum Pharnaceis numis effossam lippi et tonsores, Mauri atque Indi jam noverunt. Ex qua fortuita accidentium conspiratione conjectandum foret Lysimacheos numos tales artificii elegantia ab antiquioribus tam misere degeneres Pharnaci II. coævos pro hybrida moneta suffectos censendos. Sed de his alias.

Bonæ fortunæ Ill. D. Baronis Josephi Nalátzi cimelii hujus notitiam Dacia antiquaria acceptam refert, quæ alia tam præstantis ingenii experimenta patriarum Musarum decori auspicatissime elaborata communi plausu jam pridem exceperat.

Hæc Tibi SER. PRINCEPS, qui in venerandæ antiquitatis reliquias mire exardescens quidquid e gravioribus negotiis publicis superat in numismaticam præsertim græcam excolendam impendis (quæ laus domestica et Tecum peregrinatur) de præclaro hoc cimelio, cujus adspectu summopere es delectatus exponere, mearum partium ratus sum.

Gratulor interim SERENITATI TUAE, quod faustus felixque Tuus ad hæc Comitia adventus non modo Proceres de Regno insigniter meritos æstimasse dederit, sed et complures Musis amicos atque antiqua eruditione conspicuos viros ita promeruisse, ut numophilacii Tui de propria penu ditandi æmulatores evaserint.

Dabam Claudiopoli Transylv. Die VIII Julii Anni MDCCCIX.

Felix Caronnus Cl. Reg. Barnabita.